



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1714

Q. 68. An licitum sit interroganti dicere, quod Matrimonium cum impedimento tantùm impediante contractum sit validum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42682

dub. 5. n. 94. dicunt illicitum esse benedicere nuptias, si alteruter sit hæreticus. R. n. aff. nam *Sanch.* loquitur de excommunicato excommunicatione majore, hanc autem, saltem multi rudes in Germania non incurrunt, aut quia sunt hæretici tantum materiales, aut quia nesciunt esse annexam suæ hæresi: & in dubio nemo præsumitur esse excommunicatus, secundum dicenda l. 7. n. 121. Deinde dato contrahentem hæreticum esse excommunicatum, attamen est toleratus, ergo si catholicus contrahens, eum & Parochum requirat, potest ille toleratus cum eo communicare, etiam in sacris, uti rectè *Sanch. n. 11.* & constat nunc post *Conc. Constant.* *Tavernus* loquitur de Matrimoniis inter personas hæreticas: & rationem dat, tum quia benedicens approbat actionem contrahendi ac Deo gratam esse jubet: tum quia cum hæretici damnent ceremonias ecclesiasticas, digni non sunt, quibus illæ adhibeantur. Hæ autem rationes tantum probant, si uterque sit hæreticus, nam si alteruter sit catholicus, actio, quæ hic contrahit, approbari potest tanquam Deo grata; & ipse non damnat ceremonias ecclesiasticas, sed est eis dignus.

§10. §. 7. *Syn. Colon.* suprà c. 4. §. 6. prohibet curatis & vice-curatis, ne in nuptialibus conviviis circumstant mensas, adhortando invitatos, ut liberaliter contribuunt ad instruendam familiam novorum conjugum, vel gratias agendo pro donativo oblato, multo minus in iis choreas agant.

§11. Q. 68. An licitum sit interroganti dicere, quod Matrimonium cum impedimento tantum impediens, vel sine proclamationibus contractum sit validum. R. *Hofstief.* *Lop. Vega* & alii dicunt, hoc dicere esse peccatum mortale, quamvis de hoc interrogetur, quia per

per hoc datur ei scandalum & occasio, ut Matrimonium illicitè ineatur, ideòque dicunt, negati debere responsum. *Silv. Rosella* & alii dicunt, cum peccare venialiter, qui sic interrogatus respondet esse validum. *Sanch. l. 7. d. 11. n. 12.* & alii dicunt, si petens videatur fragilis & abusus responsione, fore contra charitatem, si non adhibeatur cauta responsio vel elusio, unde poterit dicere, hoc esse decisu gravissimum, vel simile quid: si tamen non adhibeat hanc cautelam, & etiam non apertè dicat esse validum, dicit non fore mortale, quia præceptum charitatis non ita strictè obligat ad tantam circumspectionem. Si autem petens pergat rogare, an saltem validè fiat, probabilius est cum *Avers. q. 10. l. 4. §. Ex eo*, nullum fore peccatum, si rotundè dicat fore validum, sed illicitum, ideòque admoneat, ne id faciat, nam si aliquod ibi scandalum intervenit, est acceptum, non datum, cum nihil ponatur, quod ex sua natura ducat ad peccatum, tam parùm, quàm sit, si dicam alicui ignorantem, peccatum mortale esse vocare Deum in resem rei falsæ quantumcunque levis, alter enim, si nihilominus agat contra meum consilium, ex pura malitia sua abutitur meo responso.

DUBIUM II.

512.

Que impedimenta dirimentia Matrimonium.

Resp. Præter defectum consensûs, de quo supra cap. 1. d. 1. sunt, quæ sequentibus versibus comprehenduntur:

- Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
- Cultûs disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
- Ætas, affinis: si clandestinus; & impositus,

X *

Rapta-

Handwritten text on the book's spine:
 I. I.
 2. 0. 1
 mor.
 I. Audi
 Croix
 VIII